



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. De Imagine Dei in Homine, seu Qualis fuerit Homo conditus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

poteſt, in hoc breui dicto, quod deſcribit hominis conditionem, continetur. Primum autem dicant de Imagine Dei in Homine.

DE IMAGINE Dei in Homine.

Proxima imago æterni Patris eſt Filius, qui effigies ſeu character ſubſtantie Patris dicitur. Eſtq; talis ſimilitudo imaginis in Filio & Archetypo, ut eadem ſit utriuſq; ſubſtantia, diuinitas, gloria, et maietas. Deinde & humana natura ad totius diuinitatis imaginem condita eſt.

Ac fuit hæc IMAGO non ſolum eſſentia mentis & uoluntatis, nec tantum relatio, ſeu acceptatio humani generis coram Deo, Sed etiam qualitas ſecundæ ſpeciei, hoc eſt, reſtitudo & excellens præſtantia omnium uirium hominis, mentis, uoluntatis & cordis, congruens cum archetypo, ſeu mente diuina.

Et fuit in mente lux, id eſt, illuſtris noticia Dei, & firma aſſenſio ſine ulla dubitatione, de Deo, de prouidentia, de

F pro

promissionibus & comminationibus diuinis.

In uoluntate fuit conuersio ad Deum, id est, obedientia uniuersalis, complectens ardentem dilectionem Dei & omnes uirtutes excitatas & flagrantes, & directas ad hunc finem, ut Archetypus innotesceret & celebraretur.

Postremo Cor et omnes adfectus & adpetitiones, menti et uoluntati obtemperabant, nec ulla in re ab eis dissentiebant. Ideoque Cor expers omnis pauoris ac tristitiæ, in perpetuo & ardentissimo gaudio Spiritus sanctus uiuebat. Hæc descriptio Imaginis Dei ex Pauli testimonijs coaceruata est.

Coloss. 3. Induite nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem iuxta imaginem conditoris.

Ephes. 4. Renouamini Spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui ad imaginem Dei creatus est, in Iusticia & sanctitate uera.

2. Cor. 4. Nos autem omnes resecta facie splendorem Domini intuentes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Ethnici quoque, uel ex doctrina sanctorum Patrum

TRUM

erum, uel naturali luce intellexerunt, Hominem esse
Imaginem Dei, & dignæ memoria sunt sententiæ Ma-
niliij lib. 4.

Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parua .

Et Sibyllæ uersus citatur à Lactantio lib. 2. cap. 11.

Εἰκὼν ἐστὶ ἄνθρωπος ἐμὴ λόγον ὀρθοῦ ἔχουσα.

Mens Hominis ratione ualens & sedula cultrix

Iusticia, iusti dulcis imago Dei est.

Et Pselli dictum ab Eugubino citatur. ὁ Πικτὴς
ἡρῶν πατὴρ τοῦ κόσμου σύμβολα ἐγκατέσπειρε
ταῖς ψυχαῖς τῆς ἑαυτοῦ ιδιότητος, id est, Archi-
tectus & autor Mundi sparsit in animas hominum
indicia suæ diuinitatis .

Proclus. ὁ ἐν ἡμῖν Νῦς, ἢ πρῶτος Νῦς εἰκὼν. Id est.
Nostra mens est imago primæ Mentis s. diuine.

Hæ sententiæ quanquam dulces sunt & ueræ, ta-
men descriptio Imaginis Dei ex testimonijs uerbi di-
uini sumenda est.

Vt autem amplitudo sapientiæ, quam continet
doctrina de Imagine Dei, aliquo modo aspici possit,
breuiter eam in Decem Locos distributam euolue-
mus.

PRIMO. Vocabulum relatiuum est. Nam Ima-
go significat similitudinem essentiæ uel qualitatum
congruentium, ut cum Antiocheni deprecantes poe-
nam ob euersam Flacillæ coniugis Theodosij statuã
dicunt, Non debere Imperatorem ob uiolatam mor-

Ε 2 tuσ

tuae coniugis imaginem, tot uiuas Dei imagines uiolare: Fundamentum Imaginis est statua aenea, Terminus est similitudo lineamentorum faciei & totius figurae corporis representans Flacillam.

Imaginis in speculo, fundamentum est ille intuens, à quo transmittuntur radij seu species, Terminus est similitudo illa figurae & colorum, quae conspicitur.

Sic Imaginis DEI in homine Fundamentum est Deus ipse, spargens radios suae lucis, sapientiae et iustitiae in nostras animas. Terminus est similitudo seu congruentia earum rerum, quae Deo & nobis communes sunt, uidelicet Mentis, & sapientiae firmiter agnoscentis Deum, & discernentis honesta & turpia, uoluntatis liberae, & iustitiae, beneficentiae, castitatis congruentis cum ipso Deo, & laetitia ac uita perpetuae.

SECUNDO. Definitionem Imaginis Dei antea recitauimus extractam ex testimonijs Pauli, quae opponenda sunt ijs, qui dictum Genesis de corporea imagine interpretantur, atque contendunt hominem eo tantum Imaginem Dei esse, quod ipsius corpus ad similitudinem & Ideam corporis, quod filius Dei assumpturus erat, fabricatum sit.

Tertullianus etsi in libro de Resurrectione Carnis disertè affirmat, Carnem Hominis ad imaginem Dei, manu Dei structam esse, tamen lib. 2. contra Marcionem sibi ipsi contradicit. Neque enim facie & corpore

poralibus lineis tam uarijs in genere humano ad uniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est, Anima, ad formam Dei spondentis, & arbitrij sui libertate & potestate signatus est.

Irenæus etiam lib. 5. pag. 298. Non solam animam sed carnem quoq; unitam animæ, esse imaginem & templum Dei disputat.

Sed Augustinus plus quam tricies disertè affirmat, Non secundum formam corporis hominem factum esse ad imaginem Dei, sed secundum rationalem mentem.

Et lib. 9. 10. 12. 14. 15. de Trinitate, Imaginem Dei ad ipsas potentias seu uires animæ accommodat, ac dictum ex lib. 9. supra recitauit.

Libro 14. cap. 8. & alibi hac explicatione utitur. In Mente Hominis, etiam antequam sit participans Dei, Dei imago reperitur. Etsi enim amissa Dei participatione deformis sit, imago Dei tamen permanet. Iam ergo in ea trinitatem, quæ Deus est, inquiramus, Ecce enim mens meminit sui, intelligit se, diligit se. Hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Hinc enim quedam apparet Trinitas Memoria, Intelligentiæ & Amoris.

Hæc ergo tria potissimum tractemus Memoriam, Intelligentiam, Voluntatem & c. Mens memorans seu cogitans sese significat Patrem. Intelligentia sui,

F 3 seu

seu cogitatio, quæ est imago rei cogitata, significat
Filium, Voluntas Spiritum sanctum.

Hæc explicatio subtilior quanquam uera est, ta-
men tutissime sequemur Paulum interpretem, qui
Imaginem Dei nominat similitudinem seu congrua-
entiam omnium uirium cum ipso Deo, seu Lege Dei,
Videlicet in mente ueram, illustrem et claram agni-
tionem Dei conditoris. In uoluntate & corde iusti-
ciam & sanctitatem ueram, quæ causa est uite &
leticiæ æternæ.

TERTIO. Doctrina de Imagine Dei monet,
Quare Deus condiderit Hominem, uidelicet, ut De-
um agnoscat, & congruat ad normam diuinæ lucis,
sapientiæ & iusticiæ, quam nature humanæ Deus
inseuit. Prima igitur & summa Hominis cura sit,
ὁμοιοῦσθαι θεῷ καὶ ὁσὸν δὲ υἱατοῦ ἀνθρώπου, ut
Deum Opificem monstret, & Dei gloriam illustret,
ut 1. Corinth. 10. dicitur, Omnia ad gloriam Dei fa-
cite. Et dulcissimus est Versus Antonij cuiusdam Mo-
nachi.

Ἀρχὴν ἔπ' ἅντων καὶ τέλος πρὸς θεῷ.
Principium & finem in omnibus facito Deum.

QUARTO. Maxime illustre testimonium est,
Quod sit Deus. Impossibile enim est mentem & insi-
tas menti noticias, numeros, lumen discernens hone-
sta & turpia, libertatem uoluntatis, iudicium consci-
entiæ, leticiam in recte factis & c. casu existere, Ne-
cesse est

esse est igitur esse Deum Mentem sapientem, bonam, iustam, liberam, iudicem & c.

QVINTO. Docet Qualis sit, uidelicet Essentia intelligens, bona, discernens iusta & iniusta, libera, uindex scelerum, approbatrix iusticie, Fons leticie & uitæ eterne.

SEXTO. Monet Qualis conditus sit Homo, uidelicet, ut esset Deo similis, ut in eo fulgeret Mens clare agnoscens essentiam & uoluntatem Dei, sine ullis dubitationibus & erroribus, ac ut in mente luaceret sine ulla caligine sapientia discernens honesta & turpia, tanquam norma omnium actionum. Deinde ut haberet uoluntatem liberam, non impeditam, habentem rectitudinem ac iusticiam congruentem cum Deo, plenam fiducia & leticia in Deo, & regentem inferiores uires, sine earum contumacia, expertem omnis peccati & mortis, omnis tristitie & doloris.

Cum autem illustribus uerborum & sententiarum luminibus, Imago Vitæ & primorum Parentum, qualis ante lapsum fuit: in Oratione quadam Iusti Ionæ de studijs Theologicis expressa sit: hortor Studiosos ut eam legant. Etsi enim hæc felicitas post lapsum plane amissa est, tamen prodest eam illustrari, ut magnitudo peccati, quo deformata est in nobis imago Dei, consideretur, ac maiori desiderio queratur filius Dei, qui est proxima & substantialis Imago

E 4 lis Imago

lis Imago æterni Patris, & ideo uenit, ut destruat opera Diaboli, & imaginem Dei in nobis instauret.

SEPTIMO. Monet de uero & ardenti amore Dei erga genus humanum, in quod rerum, quæ in ipso summæ & optimæ sunt, uidelicet mentis, sapientiæ, libertatis, iusticiæ, & sanctitatis similitudinem transfudit.

OCTAVO. Deformatio imaginis, facta lapsu primorum Parentum, & carnali propagatione in nos omnes deriuata, consideretur & deploretur. Nunc enim omnes ex uirili semine nascentes adferunt in Mente caliginem ignorantem Deum, & dubitationes de prouidentia & uoluntate Dei. In uoluntate auersionem à Deo, uacuitatem timoris Dei, fidei, dilectionis, securitatem carnalem, dissidentiam, admirationem sui, concupiscentiam, prauas inclinationes. In Corde contumaciam omnium adfectuum aduersus uoluntatem Dei, propter quæ mala Homo reus est iræ Dei & æternæ mortis.

Ita Homo, qui debebat esse politum speculum, & expressa imago Dei, per lapsum primorum Parentum factus est larua Diaboli. Sed tamen, ut speculum cæno conspersum, aliquam adhuc, quantumuis obscuram imaginem reddit, Sic in Homine aliqua adhuc noticia & uestigia Dei etiam post lapsum reliqua sunt, quæ per filium Dei paulatim in hac uita illustrantur, donec integra in nobis Imago Dei instauretur.

NONO.

NONO. Sic autem instauratur in nobis Imago Dei. Voce Legis monstratur nobis magnitudo & atrocitas peccati, quo amissa est Imago Dei, & ira Dei aduersus peccatum: Cumq; corda in ueris doloribus ortis ex conspectu peccati, sustentantur consolatione proposita in uoce Euangelij, simul accenditur in nobis per filium Dei λόγος uera agnitio Dei, & fides qua accipitur remissio peccatorum, & effunditur in pectora nostra Spiritus sanctus, qui renouat in nobis imaginem Dei, hoc est, ueram lucem, fiduciam, iusticiam, uitam, leticiam, & omnes uirtutes, congruentes cum uoluntate Dei, instaurat. Sicut de Instauracione Imaginis 2. Corinth. 3. scriptum est.

DECIMO. Illustria etiam testimonia diuinæ prouidentiae in mente humana, & noticijs menti insitis, ex quibus omnes artes extractæ sunt considerentur. Deinde etiam in corpore humano, cum singule partes ita aptæ distributæ sint locis, & distinctæ materia, figuris, qualitatibus, & ad suas actiones ac utilitates destinatæ, ipso ordine & arte, conuincimur esse Deum opificem, qui sui uestigia nobis impresserit, eaq; à nobis agnosci & intelligi uelit. Ideo grauißimè Galenus inquit, Anatomem corporis humani, ducem nobis esse ad agnitionem Dei.

Hec capita doctrinæ de imagine Dei, breuiter collegi, ut eorum cogitatione nos ad ueram agnitionem Dei & nostri, ad ueram fidem, & dilectio-

nem Dei exuscitemus. Nunc uocabula quaedam declarabo.

Faciamus hominem) Adā dicitur ab אָדָם id est, terra. Homo in latina lingua dicitur ab humo, ex qua formatus est. Psalm. 102. Recordatus est quoniam puluis sumus.

ἀνωθεν dicitur ab ἄνω ἔδρα, id est, sursum uideo. Nam,

Pronaq; cum spectent animalia cetera terram,

Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere.

Iussit & erectos ad sidera tollere uultus, ut inquit Ouidius.

Simul autem in lectione horum uerborum, FACIAMVS Hominem ad imaginē NOSTRAM, Testimonium de pluribus personis diuinitatis ὁμοιοῦς & coeternis obseruetur, de quo etiam Hilarius admonet his uerbis, Deus ad communem sibi cum Deo imaginem eandemq; similitudinem Hominem reperitur operari, ut nec significatio efficientis admittat intelligentiam solitudinis, nec operatio constituta ad eandem imaginem, diuersitatem diuinitatis.

זֶלֶם) Zelem. R. David Kimhi in lib: radicū scribit aliquando significare formam sensibilem seu corpoream, aliquando uero insensibilem & incorpoream, ubi uidelicet aliquid cum alio similitudinem habet ratione dignitatis & præstantiæ. Hoc loco Paulus Zelem seu Imaginem, non de forma corporea,

porea, sed de uera DEI noticia, iusticia, & sanctitate interpretatur. Ephes. 4. Coloss. 3. 2. Corinth. 3.

Præsit Piscibus:) Dominium Adæ attributum, erat facultas, qua omnibus creaturis ad salutem uti, & nulli creaturæ subijci poterat, sed soli Deo, ut inquit Psalm. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Hoc dominium in Adam amissum restituitur per Christum. Rom. 8. Confido quod neq; mors neq; uita possit nos separare à dilectione Dei, qua diligit nos propter Christum.

רָדָה Rada) significat dominiū seu potestatem, qualem habet dominus in seruum, non qua ille abutitur, sed qua illius opera ad suos usus, idq; cum æquitate utitur.

In Imagine Dei:) Ebraismus, Antecedens pro relatiuo usurpatur.

Crescite & multiplicamini:) Deus uult naturam hominum conseruari & propagari commixtione seminum in coniugio, ut Ecclesia conseruetur et propagetur, donec compleatur electorum numerus. Quare sanctissimè Plato inquit: Ideo esse coniugio utendum, ut alios Deo pro nobis cultores relinquamus. De Coniugio infra dicam capite Secundo.

Replete terram:) Scilicet prole.

Subijcite eam:) Id est, reddite eam uobis habitabilem expulsis feris, & dominamini.

Ecce dedi uobis:) Ex his uerbis colligitur homines

mines ante diluuium annis 1656 simpliciss: cibo usus esse, uidelicet herbulis & fructibus arborum. Hæc fuit causa longeuittatis ipforum.

Dedi) Præteritum Ebraeis est דָּוָן & significat habitualiter seu præsender, ut in Magnificat, deposuit, exaltauit, fecit, pro deponit potentes de sede, & exaltat humiles & c. Ita hic Dedi, id est, Do uobis omnem herbam, ut sit uobis in escam.

Cuncta quæ fecerat, erant ualde bona.

BONVM est res à Deo condita, placens Deo, congruens ad ordinem in mente diuina, & destinata ad certos usus profuturos homini, & Deo placentes.

Est autem duplex bonum.

Naturale, est res quæcunq; à DEO condita, placens Deo suo loco, & ordinata ad aliquos usus Deo placentes, ut Sol, terra, cibus, potus.

Vtile quod iuuat conseruationem naturæ, uitam & uitæ necessaria, aut quod propter ista expetitur.

Suaue quod congruit cum aliqua naturali & ordinata adpetitione.

Morale

Morale est actio seu uirtus congruens cum iudicio rectæ rationis. Diligenter autem hæc particula in Mose consideranda est, Omnia quæ fecerat Deus, erant ualde bona, ut resistentur furores Manichæi & similibus, qui causam peccati in Deum conferunt.

Ab hoc furore etiam Ethnici saniores abstinerunt, ut in fine Secundi πολιτεῶν Plato ait, καὶ δὲ αἰτίου φάναι θεῶν τινὶ γίγνεσθαι ἀγαθῶν ὄντα διαμαχετέον παντὶ ἕσπεω &c. Omni contentione pugnandum est, ne quis in ciuitate quam bene regi uolumus, dicat Deum, cum sit bonus, causam esse ullius mali, Quoniam neq; sanctè ita dici potest, neq; utile est moribus, neq; secum consentit in explanatione. Et alibi definit Deum, quod sit οὐσία

αἰδίου, τῆς ταγαθῶ φύσιως αἰτία.

hoc est, Essentia æterna, causa

boni in natura.

CAPVT